



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Mariae Gratiani A Burgo S. Sepulchri Episcopi
Amerini De Vita Joannis Francisci Commendoni Cardinalis
Libri Quatuor**

Graziani, Antonio Maria

Parisiis, 1669

Cap. II. De iis, quae infanti acciderunt, & de periculis ejus in navigando.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9616

6 DE VITA JOANN. FR.

bus sacerdotiis auctus, vltimus stirpis fuit, cùm
sacris addictus prolem non propagarit.

*De his quæ infanti acciderunt, ac de pericu-
lis ejus in navigando.*

CAPUT II.

EDITUS primùm in lucem, cùm de more ab obstetricie lavaretur, ipso in alveolo sua sponte genibus stetisse, junctásque in cælum manus tetendisse dicitur. Item quo die initiandus Christianis sacris, solemniq[ue] ritu sacratæ infusu aquæ ablwendus erat, ad templum cùm deferretur, nebuloso admodùm cælo repente è mediis nubibus emisso solis radio infans clarissimâ est luce perfusus. Quæ seu casu acciderint, sive quod sæpè evenisse constat, futuram pueri magnitudinem portenderint, constanter quidem tum de eo memorabantur. Vixdum quadrimus summum vitæ discrimen navigans adiit. Cùm mater è Clodia Venetas parvâ cymbâ tranaret, puer, nihil advertente matre ad latus navigii obrepst, & manu aquam contingere adnitens in mare decidit, & cymba velo, secundaque aura ferebatur: exterrita ad filii casum præcipitatura se illa in vndas fuit, ni conantem, ac propè amentem excepissent famulæ. At puer admirabili audaciâ, & celeritate nautæ servatus est, qui cla-

vum regens , animadverso casu , relaxato subito
fune , quo velum pandebatur , in mare profuluit ,
ac suscepto puero in columem ad navigium , quod
dejecto velo constiterat , nando retulit , matrique
propemodum jam dolore exanimatae restituit .
Futura pueri dignitas fecit , vt non frustra tam
evidenti Dei numine tanto periculo ereptus vi-
deretur . Nec ferè vñquam ille sine periculo na-
vigavit . Romam petens , cùm Clodiæ vt Anco-
nam trajiceret , condescendisset , fractâ per noctem
ad Senogalliam navi , vadosum ejectus in littus ,
trecentos amplius passus nandi ignarus , vndan-
tibus supra pectus fluctibus , confecit pedibus ;
atque ægrè per tenebras in siccum evasit , cùm
eorum aliqui , qui eodem navio vehebantur ,
aquis obruti perierint . In Belgis Oceani sinum
transmissurum ab Amstelodamo cælo sereno , ac
secundo proiectum vento , tanta cædem nocte
tempestas adorta est , vt obfuscis vndique densissi-
mis tenebris , cælo crebris , atque ingentibus
tonitribus , fulgorib[us]que omnium mentes pavo-
re perstringente , ac non vectoribus modò aliis ,
& comitibus ejus , sed ipsis etiam territis navi-
culario , nautisque , non longè abfuerit , quin
magnitudine fluctuum navis hauriretur ; sed salu-
ti omnibus ipse tum vñus fuit . Nam cæteris hor-
rore , naufragique jacentibus , animoque , & cor-
pore abjectis , quorum in numero ipse fui , qui
hæc postea scripsi , ille quamquam adeò solutus
aer in imbre erat , vt completurus navim vide-

retur, ad officiaque discurrentes in os incidens impediret, tamen nullâ territus re, vno adjuvante cubiculario ejus Dionysio Viterbio Patavino, qui solus expers naufragii fuit, ad omnia nautarum munia occurrens, eisque despondentes jam animum, nunc oratione, nunc vltro subeundo opera eorum confirmans navem servavit, cum sequenti die luce ortâ deservisset tempestas, & reddita mari tranquillitas esset. Ne fluminibus quidem vnam sine adversis casibus navigavit. Vitandam omnem navigationem, mari, aquaque abstinendum, quod fatale inde periculum immineret, prædicentes quosdam, & monentes amicos, risit semper, nec quoties res, atque opportunitas tulit, propterea committere se mari, nayibisque est veritus.

De prima ejus institutione.

CAPUT III.

SUMMA Patris cura institutus est; nam pene infans specimina ingenii dederat, & ab Astrologis ingentia, atque summa portendi, talium haud incurioso Patri responsum erat. Vix decimum annum agens Latina carmina non scriptabat solum, sed etiam de re proposita ex tempore edebat, eratque propterea in amoribus Principum civitatis, quorum amicitia florebat
Pater,